



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

93 Pecuniae appellatione, quidquid pecunia aestimatur, intelligendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

- 90 Nunquam autem ꝑ interdicti tempore licet defunctorum corpora in cœmeterijs, & multò minus in Ecclesijs sepelire, & contrafacientes ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt *d. clement. 1.*
- 91 exceptis tamen clericis, ꝑ qui servaverunt interdictum, quibus cum silentio, & absque campanarum pulsatione, eo tempore est concessa sepultura, *cap. quod in te, s. licet autem de pœnit. & remiss. & regularibus ut in c. & privilegia de privil. & alijs speciali privilegio munitis.*
- 92 Pro ꝑ pecuniario debito, vel pecuniæ quantitate quacumque occasione, vel causa, Provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium, vel districtus auctoritate ordinaria sine Sedis Apostolicæ speciali licentia interdici non potest, *ut in extravag. com. cap. proinde, s. presentis de sentent. exc. Abb. in c. ex rescripto n. 3. de jur. juran. & Felyn. in d. cap. sane 2. nu. 3. de off. & potestate jud. deleg.*
- 93 ꝑ Appellatione autem pecuniæ omnis res continetur, cujus valor numismate mensuretur, *l. pecunia verbum, & ibi Alciat. num. 2. ff. de verb. signif. l. recepticia C. de const. pecu. & gl. in d. c. proinde in verb. pecunie appellatione in extravag. com.*
- 94 Tamen ꝑ in curia Romana, postquam constat quòd executio realis, vel personalis contra debitores fieri non potest, interdictum ab Auditore Camerae Apostolicæ pro debito pecuniario contrahentibus, castra, & loca relaxatur, quia debitum contrahentes ultra bona, etiam personaliter obligant se, suosque hæredes & successores in forma Camerae Apostolicæ, cujus obligationis vigore contrahentes ꝑ obligando se ad solutionem impendendam Romæ, aut alibi; renunciant omnibus, & quibuscumque legibus, & legum auxilijs, exceptionibusque, & quibusvis censuris se submitunt, & ex consuetudine, quæ propter Papæ præsentiam videtur approbata in dicta curia, ad interdictum pro debito pecuniario proceditur, ꝑ quia consuetudine cum legitima præscriptione, aut Papæ approbatione acquiritur jurisdictio excommunicandi, ea scilicet facultate capitibus, *Navar. d. c. 27. num. 7. tom. 3. Sed hoc casu, ut interdictum relaxetur, plura concurrere debent.*
- 97 ꝑ Primò, quòd instrumentum sit rogatum in curia Romana, vel statu ecclesiastico Sedi Apostolicæ subiecto, inter personas eidem sedi in temporalibus subiectas, & quòd mandatum ad obligandum fuerit datum per capita domorum ejusdem loci, quia alias, qui non dederunt mandatum nisi sint hæredes, aut successores, aut propterea vi obligationis comprehensì, non tenentur interdictum promulgatum pro debito pecuniario servare, cum nec filius pro patre, maritus pro uxore, aut servus pro domino censuris ecclesiasticis possit innodari, *ut d. cap. si habes, 24. quest. 3. cum alijs supra allegatis.*
- 98 Post ꝑ proximè, & alia supra in prima parte, *cap. 11. num. 16.* circa obligationem cameralem per me scripta, vidi constitutiones, de quibus infra, ubi Bonif. Papa VIII. Quia tempore, inquit, interdicti divina organa suspenduntur, & laudes Dei, nec ecclesiastica Sacramenta ministrantur, ut solent; tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia; præsertim per oblationem frequentem hostiæ salutaris; adoles-